



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 30. Controversia de summa auctoritate in Sacra inter Protestantos  
exorta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.  
A. C. 1613. dalitatis leges erant sequentes. I. Nemo illorum iter agendo aliud profiteatur, nisi morborum curationem, illamque gratis exerceat, omnes vero huic Societati adscripti jurato profiteantur, quod nullibi se ut tales manifestare velint, priusquam opportunum universalem reformationem exequendi tempus advenerit. II. Nullus propterea certo habitus genere uti compellatur, sed Religionis duntaxat consuetudini se conformet. III. Unusquisque Fratrum quotannis die C. in loco Sancti Spiritus se sistere, vel absentiae suæ causas literis declarare teneatur. IV. Quilibet personam aptam & idoneam, quæ sibi vita functo succederet, eligere obstrictus sit. V. Vocabulum *Rosea Crux* illis sit instar Symboli, characteris, aut sigilli. VI. Centum saltem annis hanc Sodalitatem latere, necesse sit. Ceterum fanatici hi milites tanquam rebelles in Cæsaream Majestatem insurgentes anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo septimo victricibus Ferdinandi II. Cæsaris armis deleti sunt.

## §. XXX.

*Controversia de summa auctoritate in  
Sacra inter Protestantes  
exorta.*

Jam

Jam per integrum ferme sæculum A- Sæc. XVII.  
 catholici, cum Papæ auctoritatem A. C. 1613.  
 agnoscere renuerent, supremæ autem e-  
 jusmodi potestatis necessitatem sat lu- Jæger. hist.  
 culenter deprehenderent, ambigui hæ- Eccl. 1. 2. 7.  
 rebant, cuinam tandem, quin eum Pa-  
 pam nominarent, supremam hanc au-  
 ctoritatem Judicis in fidei dubiis attri-  
 buerent: nullibi vero majori contentio-  
 ne, quam in Belgio fœderato hæc quæ-  
 stio agitabatur, occasione exorta ex  
 controversia, qua Gomaristæ cum  
 Arminianis circa quinque *fundamenta-*  
*les* fidei articulos (\*) in eadem Calvi-  
 nistarum Ecclesia jam ab aliquot annis  
 collidebantur: Agebatur demum de  
 hoc dubio per supremum ac ultimum  
 Judicem decidendo: olim ex sectæ  
 hujus præscripto hæc auctoritas Magi-  
 stratui vindicabatur, id quoque affirma-  
 bant Arminiani, negabant vero Goma-  
 ristæ seu Contra-Remonstrantes, qui  
 Sacræ hujus potestatis partem ad Ec-  
 clesiam repræsentativam, seu ad Mi-  
 nistros Ecclesiæ pertinere, ipsisque so-  
 lis de caussis & articulis fidei judicandi  
 potestatem competere contendebant:  
 Agitabatur igitur hæc quæstio: *An*  
*Ma-*

(\*) Calvinistæ in colloquio Hagiensi testati  
 sunt, quod Arminiani *fundamentum fidei con-*  
*vellant.*

Sæc. XVII. *Magistratus Politicus etiam Jus & Imperium habeat in Ecclesiasticas res, & an ad illum pertineat inquisitio in puncta fidei?*  
 A. C. 1613. *Erat quidem e re Arminianorum hanc potestatem Magistratui Laico asserere; probe enim perspectum habebant, quod si iudicium & decisio de controversiis, quas cum Gomaristis habebant, Ministris in Belgio existentibus permitteretur, ipsi procul omni dubio causa sua caderent, eoquod hi Arminianos odio plusquam vatiniano infectarentur: Econtra Gomaristarum intererat, Ministris hanc auctoritatem Papalem tribui, Magistratui denegari, cum illos sibi propitios, e Magistratu autem potissimos sibi adversari nossent. Prævaluit tamen Ministrorum potentia. Per summum nefas vero hanc auctoritatem Ministris vindicari, ac Magistratui denegari, propugnabat Joannes Uytenbogardus Arminianus, qui hac super re tractatum de summi Imperii in rebus Ecclesiasticis auctoritate conscripsit, quem etiam postea in Angliam transmisit, ut suffragia colligeret: Respondit eidem inter alios Adrianus Saravia Archiepiscopus Cantuariensis, cujus epistola prudenti Lectori latum iudicandi campum aperiet: Erat autem hujus tenoris: Deo gratias ago, qui tibi hanc mentem & animum dedit, quod publi-*

Sæc. XVII.  
A. C. 1613.

publico scripto a tam pernicioso errore vestros homines deterrere ausus es; vereor enim, ne Ecclesiis Christi plus mali sit allaturus, quam illi cogitent, qui obstinate eum defendunt. Propter hanc controversiam miserorum Papistarum hic in Anglia divexantur conscientie, discrimen tantum est in subjecto summi imperii, quod hic in uno residet Monarcha, apud vos est in multitudine vel Optimatum vel populi, quæ res auget difficultatem, quia vestri Ordines de Religione non sunt ejusdem sententiæ: vestrorum Ministrorum nonnulli, si non omnes pro veris Christianis, quibus tuto fidere possint, illos in rebus Ecclesiasticis admittere non audent iudices. Hæc speciosa videtur ratio, sed non vident eadem ratione probaturos, illos, penes quos est summum imperium, potestatem nullam habere judicandi NB. de tela & Lanificio, de textoribus & fullonibus, de re navali & aliis artificiis, quorum non tenent scientiam: ignorare videntur, Magistratus quæ non intelligit discernere a peritis, quæ textorum sunt a textoribus, quæ fabrorum a fabris & nautarum a nautis, ad quos causa, quæ controvertitur, non pertinet, quare potestas in rebus Ecclesiasticis ad summum imperium æque pertinet, etiamsi penes quos illud est, sint infideles aut mali Christiani, sicut ad fideles & pios: personarum in hac re non est spectanda fides & religio, sed data divini-

Hist. Eccles. Tom. LV.

Q

tus

Sæc. XVII. A C. 1613. *tus potestas, si justa in negotio Ecclesiastico imperaverit infidelis Magistratus, parendum est; cum fideli, si jubeat iniqua, non sit obediendum, quos alieno subesse imperio Deus voluit, si pii sunt, præcepti tantum & potestatis a Deo institutæ habebunt rationem. Nos vero & quotquot Ecclesiæ hic in Anglia ministerio fungimur, solenni juramento profiteamur, nos agnoscere Regem summum habere imperium non tantum in causis civilibus, sed etiam Ecclesiasticis. Ejusmodi juramentum, ut apud vos in usu esset, optandum foret, ad omnem suspicionem tollendam de Ministris & Ecclesiarum vestrarum Pastoribus, quos, cum isthic essem, memini non detulisse Magistratibus quantum debebant, quando illorum potestatem in causis Ecclesiasticis nullam agnoscunt. Quæ de hac re disputata sunt a probatissimis Theologis, miror vestros homines aut non legisse, aut lecta contemnere; non enim alio loco habendi sunt quam seditiosorum, qui summi imperii summam auctoritatem in causis etiam Ecclesiasticis non agnoscunt, & jure Aristocraticæ tribuunt illam auctoritatem in rebus Ecclesiasticis, quam Papa tribuit jure Monarchicæ, sed judicii improbitatem istorum hominum spectata: oppressi tyrannide Papæ Romani ad Magistratus civilis, qualis qualis erat, auctoritatem & defensionem provocavimus, & audiri in causa mere Ecclesiastica postu-*

Sæc. XVII.

A. C. 1613.

postulavimus: & tunc nihil non potestatis civili Magistratui tribuebamus, quisquis ille esset: hujus rei testis est epistola ad Hispaniarum Regem, & Ordines Belgicarum Provinciarum, quæ olim præfixa fuit fidei Confessioni Ecclesiarum, & tecum reputa, cujus Religionis illi fuerint, quantum tamen illis tribuerimus in fidei negotio. Ego tunc temporis Minister eram Ecclesiæ Gallicanæ Antverpiæ, & exemplaria illius confessionis Principi Auriaco & Comiti Egmondano offerenda curavi, frater uxoris meæ erat Comiti Ludovico a cubiculis, qui me ad Dominum suum adduxit, ut illi innotescerem, & exemplaria recens editæ Confessionis darem, ulterius Principibus distribuenda: congregavi primum tunc temporis Ecclesiam Bruxellis auxilio Domini de Tolossa, fratris Domini Sanctæ Aldegundæ, ex aulicis & paucis quibusdam civibus Gallici sermonis: in altercationibus Leidanis illam fidei confessionem & Catechismum allegari & urgeri video, ac si **IPSUM ESSET DEI VERBUM**. In sua vero confessione, ac si fidei Canon esset, nihil mutari patiuntur, ego me illius confessionis ex primis unum fuisse authoribus profiteor: sicut & Hermanus Modetus: nescio, an plures sint superstites, illa primo fuit conscripta Gallico sermone a Christi servo & Martyre Guidone de Bres, sed antequam ederetur, Ministris verbi Dei, quos potuit nancisci, illam

Sæc. XVII. A. C. 1613. *illam communicavit, & emendandum, si quid displiceret, addendum, & detrahendum proposuit: ut unius opus censerinon debeat, sed nemo eorum, qui manum apposuerunt, unquam cogitavit fidei Canonem edere: verum ex Canonicis scriptis, fidem suam probare, nihil tamen meo iudicio in illa est, quod reprehendam, aut mutare velim, quod si sint aliqui, quibus non omnia probentur, audiendos censeo, & ex verbo Dei docendos, si quod reprehendunt secundum Dei verbum, nemo temere inter impios censendus est, qui doceri paratus est. Articulorum non idem omnium est pondus: esse possunt nonnulli, a quibus si dissentiant, sunt ferendi, non ab Ecclesia idcirco alienandi, idem censeo de Catechismis vestris, quos ipse aliquando tam in Gallicis, quam Teutonicis Ecclesiis docui: ab illis tamen dissentio in expositione descensus Christi ad inferos: postquam a vestris ejectus, huc sum reversus, mutavi sententiam, melius hic in Anglia edoctus concionibus & Scriptis tum doctissimi viri Reverendi Episcopi Vintoniensis, tum aliorum doctorum hominum, qui nulla in parte aut Calvino aut Beza cedunt, de qua re ad Ecclesias, quæ reformatæ dicuntur, duos conscripsi libros, qui nondum viderunt lucem. Cantuarie die decima tertia Aprilis sive Anglice millesimo sexcentesimo duodecimo.*